Fengler, E. De Jove et fato Homerico.
Diss. Berlin 1868.

DE JOVE ET FATO HOMERICO.

COMMENTATIO PHILOLOGICA,

QUAM

CONCESSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

LITERARUM ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPTAM EDIDIT

Julius) Eduard (Aloys)
EDUARDUS FENGLER,

PHILOLOGIAE CANDIDATUS,

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT R. PUTA

MDCCCLXVIII.

1870, Feb. 25.
Gift of
the University of Rostock,
Germany.

REVERENDISSIMIS CARISSIMIS
AVUNCULIS SUIS

EDUARDO MÜLLER,

CONSILIARIO EPISCOPALI,
MISSIONARIO IN REGIONIBUS SEPTENTRIONALIBUS

ET

ADOLFO MÜLLER,

RECTORI PROGYMNASII CATHOLICI BEROLINENSIS

HASCE PLAGULAS

D. D.

AUCTOR.

„Est nobis voluisse satis.“

Tres praecipue sunt causae, quibus in Homeri de fato investiganda opinione contra multos eosque doctissimos viros contendere, Iovem a poeta fato inferiorem esse descriptum, adducimur: primum quod multos continent libri Iliadis et Odysseae locos, in quibus liquido docet poeta, Iovem cum reliquis diis sub imperio et potestate fati fuisse, deinde quod persaepe diserte indicat, Iovem non modo voluntatem iussaque fati esse exsecutum, verum etiam impedivisse, ne quid contra fati decreta ceteri dii et homines agerent ac molirentur. Tertia denique accedit causa, quod poetae et scriptores seriorum aetatum eandem Homeri sententiam secuti in scriptis prolatam atque expressam nobis proponunt.

Enucleemus nunc primam causam.

Homerus omnibus hominibus ex aequo mortem destinatam esse dicturus, Minervam inducit loquentem, quae ad Telemachum Od. 3, 236 sqq.:

Ἀλλ' ἤτοι, inquit, *θάνατον μὲν ὁμοίϊον οὐδὲ θεοίπερ,*
Καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλαλκέμεν· ὁππότε κεν δὴ
Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο.

Vide contra fati decretum ne dii quidem a morte servare possunt hominem, cui si moriendi tempus venerit. Fati igitur vis viribus deorum atque adeo Iovis est superior. Ante tempus quidem a fato decretum vel homo sua ipsius culpa vitam potuit finire, vel diis e vivis eum eripere licuit, id quod praeter fatum fiebat, at ultra tempus a fato finitum nulla vis eum a mortis vinculis potest liberare. Il. 16, 433 Iupiter ipse conqueritur, in fatis esse, ut Sarpedon a Patroclo superetur et dubitat, contrane fatum sit, ut eum e pugna vivum servet:

Ὤ μοι ἐγών, ὅτε μοι Σαρπηδόνα, φίλτατον ἀνδρῶν,

Μοῖρ' ὑπὸ Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο δαμῆναι.

Fati fuit decretum, Sarpedonem, si cum Patroclo dimicaret, in hac pugna interiturum esse. Amore autem illius captus Iupiter secum dubitat, num eum a pugnando revocatum servet an pugnam et interitum decretum permittat. Quare non est fato superior, et Iuno ibidem vers. 440 sqq. graviter invehitur in Iovem et, virumne, inquit, mortalem iam olim destinatum mortis fato (*παλαι πεπρωμένον αἴσῃ*) rursus vis a morte tristi liberare? et vers. 435 sqq. addit: si vivum dimiseris Sarpedonem ad eius domum, perpende. ne quis deorum posthac velit et aliis e praeliis filium suum abducendum curare.

Nonne si Iupiter fati esset arbiter, reliqui dii eadem valerent auctoritate iidemque forent fati arbitri? Pari modo Il. 16, 647 sqq. ubi Iupiter secum deliberat, num Hector Patroclum iuxta corpus Sarpedonis interficiat an in fugam versus urbem convertat, de ancipiti pugna explicandum censemus. Il. 15, 168 sqq. Iris a Iove ad Neptunum mittitur, et nomine Iovis mandat, ut Neptunus, qui et natu minor et potentia inferior sit, e pugna

proelioque discedat. Neptunus autem respondet ira inflammatus vers. 185 sqq.:

> Ὢ πόποι, ἦ ῥ᾽ ἀγαθός περ ἐών, ὑπέροπλον ἔειπεν,
> Εἴμ᾽ ὁμότιμον ἐόντα βίῃ ἀέκοντα καθέξει.
> Τρεῖς γάρ τ᾽ ἐκ Κρόνου εἰμὲν ἀδελφεοί, οὓς τέκε Ῥείη,
> Ζεὺς καὶ ἐγώ, τρίτατος δ᾽ Ἀίδης ἐνέροισιν ἀνάσσων.

Tum recenset distributionem universi inter tres fratres, sibi obvenisse maris imperium, Iovi obtigisse coeli regnum, Plutonem autem apud inferos imperare, terram tamen et Olympum omnium esse communem. Videmus, Iovem non supremum judicem et moderatorem fati a poeta habitum fuisse. Marium enim dominus, se quoque Iovem hoc est regem esse, et intra suos imperii fines aeque ac Iovem in coelo regnare contendit. Quod sane Homerus, qui si Iovem fati atque adeo omnium rerum rectorem statuisset fingere et deos ita loquentes inducere non potuit. Primum porro locum occupare Iovem et reliquis diis praeesse, concesse-

rat ipsa Iuno, maledica et furiosa uxor, in isto deorum concilio Il. 4, 51 sqq., nihilo tamen minus eadem illa clamat, se dignitate aequaere Iovem et se negat permissuram, ut Iupiter urbes sibi potissimum caras et quas in tutelam recepit, invita ipsa evertat. Aliis in locis conqueritur Iupiter, sua cogitata fraude et asperitate Iunonis perpetuo interrumpi. Ubi igitur est majestas Iovis et auctoritas suprema, qua omnia ipsumque fatum moderetur? Ubi est vis, quae fatum tantum abest, ut vincat, ut ne aequet quidem? Si Iupiter dominus esset et effector omnium rerum, illane Iunonis convicia, (Il. 1, 539) arrogantem impetum, vindictae libidinem, fraudes in Iove consopiendo ope somni cingulique Veneris, metum irae et contumeliarum Iunonis (Il. 1, 519) sine ulla insaniei suspicione poeta fingere ac describere potuerit? Ad allegoricas interpretationes si confugeremus, metuo, ne ingenio poetae summam faciamus injuriam. Plane Iupiter Od. 1, 32, coram reliquis diis queritur ab hominibus deos causam et fontem omnium malorum immerito haberi, ex quo loco videmus, Iovem ipsum se non summum auctorem omnium rerum putasse.

Aliud exemplum, quod primo obtutu nostrae sententiae adversari videatur, illud notabile de catena aurea, quam Iupiter ad terrendos reliquos deos supremamque potestatem indicandam de coelo demittere et deos movere dicitur Il. 8, 18 sqq. persequamur. *Ad potentiam suam reliquis diis declarandam* omnes deos ex catena aurea de coelo demissa pendere jubet. Addit vero, laborem illorum fore irritum, se tamen, quando voluerit, eam facile cum ipso coelo et terra marique tracturum esse et ad coeli verticem alligaturum; tanto se reliquis diis hominibusque esse superiorem.

Aliis in locis *Μοῖρα* adsistens (Il. 16, 853. 24, 131. 21, 110. Od. 24, 28) hominem, cui decedendum est e vita, comprehendit (Il. 5, 83. 16, 334. 20, 478. Od. 2, 99. 19, 144. 24, 134. 3, 238. Il. 22, 303, 436. 17, 478, 672. 12, 116. Alios ad ultimam pugnam impellere (Il. 5, 629) alios ad mortem ducere (Il. 5, 613. 13, 602.) alios interficere (Il. 16, 849.) dicitur.

Altera vero causa est, cur Iovem a fato distinguendum eoque minorem putandum esse censeamus, quod ille non modo voluntatem jussaque fati exsequitur, sed etiam impedit, ne quid contra fati praestituta reliqui dii et homines

agant. Il. 22, 209 Iupiter ipse exquirere dicitur, quid in fatis sit. Narratur enim, deos quosdam Trojanis faventes id nisos esse, ut Hector contra Achillem pugnans salvus esset; qui tamen a Graecorum parte steterint, a Iove petiisse, ut Achilles Hectorem devinceret. Quare summus et justus rex lancibus adhibitis investigat, utrius victoria cum legibus aeternis conveniat.

Sortes cum Hectori infeliciter cadant, Achilli victoria a Iove tribuitur. Eadem dictione jam usus est Homerus Il. 8, 69 sqq., ubi etiam Iupiter dicitur lances sustulisse, fatis Trojanorum et Achivorum impositis, et Il. 16, 658 Hector sacras Iovis lances agnovisse perhibetur. Tantum igitur abest, ut credamus, ex hoc exemplo majorem Iovis potestatem posse colligi, ut illum fato fuisse inferiorem et decreta ejus exsecutum perspiciamus. Praeterea varios huc pertinentes locos examinentes Jovem potissimum curare videmus, ut *leges morales, quas fati* nomine poeta nominavit, inter ipsos deos observentur. Lites ceterorum deorum dirimit. Cum Diomedes a Minerva adjutus Martem vulnerasset, hic deam apud Iovem accusat abeoque auxilium petit. Il. 5, 872:

Ζεῦ πάτερ, inquit Mars, *οὐ νεμεσίζῃ ὁρῶν τάδε καρτερὰ ἔργα;*
αἰεί τοι ῥίγιστα θεοὶ τετληότες εἰμὲν
ἀλλήλων ἰότητι, χάριν ἄνδρεσσι φέροντες.

Fato praestitutum fuit, ut Ulysses in Phaeaciam perveniret in patriamque tandem reverteretur. Od. 5, 41:

Ὣς γάρ οἱ μοῖρ' ἐστὶ φίλους τ' ἰδέειν καὶ ἱκέσθαι
οἶκον ἐς ὑψόροφον καὶ ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν.

Cui obstitit Calypso, sed Jupiter ad eam Mercurium mittit, qui jubeat, ut Ulysses ab insula dimittatur. Quam ob causam deorum rex illum velit dimitti, indicatur v. 113.

Οὐ γάρ οἱ τῇδ' αἶσα φίλων ἀπονόσφιν ὀλέσθαι,
ἀλλ' ἔτι οἱ μοῖρ' ἐστὶ φίλους τ' ἰδέειν καὶ ἱκέσθαι,
οἶκον ἐς ὑψόροφον καὶ ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν.

Il. 20, 300 Neptunus propter Jovis fatique decreta Aeneam servandum esse dicit.

'Αλλ' ἄγεθ' ἡμεῖς πέρ μιν ὑπὲκ θανάτου ἀνάγωμεν,
μή πως καὶ Κρονίδης κεχολώσεται, αἴ κεν Ἀχιλλεὺς
τόνδε κατακτείνῃ· μόριμον δέ οἵ ἐστ' ἀλέασθαι.

Quare praesertim Jovi curae est, ne quid ὑπὲρ μόρον sive ὑπὲρ αἶσαν fiat. Sed de voce ὑπὲρ μόρον primum inquirendum est. Sunt, qui putent, voce illa significari id, de quo per fatum nihil praestitutum sit. A. Jacobus (Ueber die Entstehung der Ilias und Odyssee p. 61) scripsit: Manches konnte geschehen, was nicht unbedingt von dem Geschicke bestimmt, sondern wobei etwas dem freien Willen der Menschen überlassen war. Dergleichen geschieht ὑπὲρ μόρον oder ὑπὲρ αἶσαν: über das Schicksal oder dessen eigentlichen Beschluss hinaus. Welkerus (Griechische Götterlehre p. 192) dicit: ὑπὲρ Διὸς αἶσαν, ὑπὲρ μοῖραν, ὑπὲρ μόρον ist nichts anderes, als ein hyperbolischer Ausdruck, wie zuweilen unmenschlich, unnatürlich, unmässig, mehr als zufällig, und wird daher

auch nicht von Gethanenem oder Geschehenem gesagt, sondern bedingt von Thaten oder Gewalten, denen durch einen Gott Einhalt geschieht. Die Rückkehr der Argiver wäre ὑπὲρ μόρον erfolgt, wenn nicht Athene eintrat. Odysseus wäre in der Fluth ὑπὲρ μόρον umgekommen, wenn nicht Athene ihm zugesprochen hätte. Wenn Zeus fürchtet, dass Achilleus ὑπὲρ μόρον die Mauer erstürme, dem dies nicht bestimmt war, so ist klar, dass dies nicht buchstäblich zu verstehen ist, sondern das unwiderstehliche Vorstürmen malt, so als ob er sagte, das sieht so aus, als sollte er die Mauer zerstören. So ist es ein Kraftausdruck, wenn Apollon den Aeneas anfeuert die Stadt auch ὑπὲρ θεὸν zu retten. Als die Achaeer ὑπὲρ αἶσαν tapfer waren, da dauerte es nicht lange und Patroclos fiel: man könnte übersetzen: über Gebühr, über das Mass, wie auch ein Scholiast angiebt wie κατ' αἶσαν ἐνένεσας οὐδ' ὑπὲρ αἶσαν. Hactenus Welkerus, quo multo rectius de hac re disseruit Furtwaengler (die Idee des Todes). Die Präposition hat in ὑπὲρ μόρον weder die Bedeutung „über" noch die allein von „gegen", sondern sie verbindet mit der letzteren zugleich die des

Uebermuthes, der aus dem Missbrauch der Freiheit entspringt. Od. 1, 32 legimus:

Ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται.
ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ᾽ ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοί
σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε᾽ ἔχουσιν,
ὡς καὶ νῦν Αἴγισθος ὑπὲρ μόρον. . . . .

ubi hoc ὑπὲρ μόρον nihil aliud significatur, quam quod *contra* fatum fit, quod *aliter ac par est*, *decet*, *contra finem fato constitutum* accidit. Quod dubium esse nequit ei, qui accurate examinet, quo modo poeta voce illa usus sit. Conf. Od. 5, 436:

Ἔνθα κε δὴ δύστηνος ὑπὲρ μόρον ὤλετ᾽ Ὀδυσσεύς,
εἰ μὴ ἐπιφροσύνην δῶκε γλαυκῶπις Ἀθήνη.

Cum fato praestitutum esset, ut Ulysses illo tempore non moreretur, sed in Ithacam reversus regnaret, (Od. 5, 41:

Ὡς γάρ οἱ μοῖρ' ἐστὶ φίλους τ' ἰδέειν καὶ ἱκέσθαι
οἶκον ἐς ὑψόροφον καὶ ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν.)

ejus mors *contra* fatum fuisset. Od. 1, 35 sqq. leguntur haec: Ὡς καὶ νῦν Αἴγισθος ὑπὲρ μόρον Ἀτρείδαο, γῆμ' ἄλοχον μνηστήν, τὸν δ' ἔκτανε νοστήσαντα, αἰδὼς αἰπὺν ὄλεθρον. Quibus verbis certe non indicatur, Aegisthum facinora commisisse, de quibus per fatum nihil constitutum fuerit; sententiam hanc esse patet: Aegisthus contra fatum vel contra jus et fas uxorem Agamemnonis in matrimonium duxit illumque interfecit. Il. 6, 333:

Ἕκτορ, inquit Paris, ἐπεί με κατ' αἶσαν ἐνείκεσας, οὐδ' ὑπὲρ αἶσαν
. . . . . .

Il. 6, 486: Hector Andromachen uxorem consolatus

Δαιμονίη, inquit, μή μοί τι λίην ἀκαχίζεο θυμῷ·
οὐ γάρ τίς μ' ὑπὲρ αἶσαν ἀνὴρ Ἄϊδι προϊάψει.

Denique similibus quibusdam notionibus nostra *ὑπὲρ μόρον* vocis interpretatio probatur; *ὑπὲρ θεὸν* significat id, quod *contra* divinam voluntatem fit. Il. 17, 326:

Τῷ μιν ἐεισάμενος προσέφη Διὸς υἱὸς Ἀπόλλων
Αἰνεία, πῶς ἂν καὶ ὑπὲρ θεὸν εἰρύσσαισθε
Ἴλιον αἰπεινήν;

Notionis *ὑπὲρ ὅρκια πημαίνειν* sensus est: *contra* jusjurandum agere. Conf. Il. 3, 299:

Ὁππότεροι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν,
ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι, ὡς ὅδε οἶνος,
αὐτῶν καὶ τεκέων, ἄλλοχοι δ' ἄλλοισι δαμεῖεν.

Hac *ὑπὲρ μόρον* voce explicata probare licet, deos praesertim Iovem providere, ne quid contra fatum fiat. Iupiter Neptunum aliosque deos pugnae interesse iubet, *μὴ καὶ τεῖχος ὑπὲρ μόρον ἐξαλαπάξῃ·* Il. 20, 30. Praeterea conf. Il. 21, 514:

Ὣς οἱ μὲν τοιαῦτα πρὸς ἀλλήλους ἀγόρευον,
αὐτὰρ Ἀπόλλων Φοῖβος ἐδύσετο Ἴλιον ἱρήν·
μέμβλετο γάρ οἱ τεῖχος ἐϋδμήτοιο πόληος,
μὴ Δαναοὶ πέρσειαν ὑπὲρ μόρον ἤματι κείνῳ.

Iam vero elucet, postquam Iovem fati leges defendere atque providere, ne quid ὑπὲρ μόρον sive ὑπὲρ αἶσαν fiat, demonstravimus, nos ab iis dissentire, qui fatum necessarium, inevitabile, ineluctabile appellari velint. Contra hos rectissime disputat Maerkerus (Das Princip des Bösen pag. 246): Die Grundlage des jonischen Lebens bildet die möglichste Selbstständigkeit des Einzelnen, des Individuum's .... Den vollkommenen Abdruck eines solchen individuell selbstständigen Lebens finden wir im Homer, dessen Ansicht sich sogar zu solcher Freiheit entwickelte, dass er ganz im Sinne des Ionismus, dem Einzelnen zugesteht, ὑπὲρ αἶσαν handeln zu können. Cuius rei non exigua exempla apud Homerum reperiuntur. Enimvero tantum abest, ut prorsus immutabile sit et inevitabile, ut per fatum hominibus potestas et optio rerum suarum data sit. Ita Achilli et Euchenori bina nascentibus evenerant fata: utram praeferrent in ipsorum arbitrio positum erat. Troiam

ab Argivis captum iri nec Hector ignorat (Il. 6, 446 sqq.) et probe sciunt Argivi (Il. 4, 160—168); nec tamen tam certa haec sunt, ut Hector omnino defendi posse Trojam desperet, imo deorum fretus auxilio, qui, quamquam non celeriter (Od. 3, 147), flecti tamen possint precibus et obsequio (Il. 1, 218) saepe Argivos devictum Trojamque oppugnatione liberatum iri speret (Il. 6, 526 sqq. 8, 526. 12, 141. 13, 720): non tam certa sunt, ut Argivi non saepius capiendae Trojae omnem spem abjiciant. Quin ipso etiam fato legimus praestitutum fuisse, ut Troja servari potuisset, nisi ligneum illum equum intra muros recepisset. Od. 8, 511 sqq.:

Αἶσα γὰρ ἦν ἀπολέσθαι, ἐπὴν πόλις ἀμφικαλύψῃ
δουράτεον μέγαν ἵππον, ὅθ' εἵατο πάντες ἄριστοι
Ἀργείων Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες.

Cum a diis certo decretus esset Trojae interitus, in fato una certe salutis via et ratio Trojanis relicta erat; dii saeviores sunt fato. Socii Ulixis si ipsorum compescuissent

libidinem mortem effugere potuissent. Quibus verbis Ludovicous Mueller, vir doctissimus in dissertatione sua de fato Homerico, Berolini 1852, adnotationem addit hanc: „Omnino de Homero jam hoc tenere licet, quamquam non ubique tanquam norma valet, immeritas et indignas ab hominibus raro sustineri miserias. Ita Ulixes ipsius insolentia et superbia, qua Neptunum violarat, molestias illas et dolores sibi comparavit: remigium ejus, si moderatum esset cupiditatibus, servatum esset; proci, cum tam deos quam homines contemnerent, dignas ipsorum improbitate et sceleribus poenas dederunt. Ajax, Oilei filius superba in deos insolentia ipse supplicii sui auctor factus est. Achilles et Agamemno per jurgia illa sibi ipsis calamitates colligunt et: *quid quid delirant reges plectuntur* Achivi (Hoc. Epist. I, 2, 14). Quid quod laesa ab Alexandro hospitii sanctitas saepissime universis exprobatur Trojanis, eodem modo, quo Hes. *Ἔργα κ. ἡ.* v. 213.

πολλάκι, inquit, *καὶ συμπᾶσα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἀπηύρα,*
ὅστις ἀλιτραίνει καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται.

Haec ille. Manifestissime autem libertatem humanam ii demonstrant loci, quibus revera aliquid contra fatum factum esse legimus. Etenim quamquam a fato constitutum erat, ut Argivorum copiae a Trojanis profligarentur, tamen eos ipsorum fortitudine et virtute videmus superiores evadere (Il. 16, 780. 11, 90). Quid aliud exprobat Apollo Trojanis (Il. 17, 328.

. . . . . . ὡς δὴ ἴδον ἀνέρας ἄλλους
κάρτεϊ τε σθένεϊ τε πεποιθότας ἠνορέῃτε
πλήθεϊ τε σφετέρῳ καὶ ὑπερδέα δῆμον
ἔχοντας.
ἡμῖν δὲ Ζεὺς μὲν πολὺ βούλεται ἢ Δαναοῖσιν
νίκην· ἀλλ' αὐτοὶ τρεῖτ' ἄσπετον, οὐδὲ μά-
χεσθε)

quam hoc: si ipsorum desit fiducia, si ipsi trepident et desperent, ne Iovis quidem auxilium valere, ut victoriam reportent? Nihil aliud dicere vult, quam suae quemque fortunae fabrum esse. — Nunc denique his prioribus causis adumbratis restat, ut de tertia sive ultima disseramus.

Initio hujus libelli asseveraveramus, poetas scriptoresque posteriorum aetatum eandem Homeri sententiam, Iovem fato esse inferiorem, secutos esse, quod quam vere sit dictum, videamus.

Ex iis, qui maxime vestigia Homeri presserunt, poetis inprimis commemorandus esse videtur Sophocles, quem fere imitatorem et aemulum Homeri dicere inducaris. Grammaticus ille, qui vitam Sophoclis scripsit, de eo haec profert: *Τὸ πᾶν μὲν οὖν Ὁμηρικῶς ὠνόμαζε· τούς τε γὰρ μύθους φέρει κατ' ἴχνος τοῦ ποιητοῦ καὶ τὴν Ὀδύσσειαν δ' ἐν πολλοῖς δράμασιν ἀπογράφεται· παρετυμολογεῖ δὲ καθ' Ὅμηρον. . . . . ἠθοποιεῖ δὲ καὶ ποικίλλει καὶ τοῖς ἐπινοήμασι τεχνικῶς χρῆται, Ὁμηρικὴν ἐκματτόμενος χάριν· ὅθεν εἰπεῖν Ἰονικόν τινα μόνον Σοφοκλέα τυγχάνειν Ὁμήρου μαθητήν.* Conf. vita Sophoclis in Bergkii edit. Soph. pag. IX. Eustathius ad Il. VIII, 8. aliisque locis pluribus disserit de Sophoclis *Ὁμηρικῷ ζήλῳ* et de Sophocle *φιλομήρῳ*. Quae veterum sententiae sunt verae. Sophocles enim non solum plurima tragoediarum argumenta ab Homero petivit, sed etiam

memoriam de rebus divinis antiquitus traditam sanctius habuit, quam plurimi suae aetatis homines. Hesiodus (Theog. 894) narrat, Jovem cavere oportuisse, ne in matrimonium duceret *Μῆτιν; ἐκ γάρ τῆς*, ait Hesiodus, *εἵμαρτο περίφρονα τέκνα γενέσθαι.* Quibus ex verbis liquet, fatum quoddam Jovi fuisse oppositum, quod non modo eo superiorem, verum etiam *adversus* eum fuisse constitutum. Eodem modo Aeschylus tradit, Jovi instare aliquod fatum, quod nec noverit ille, nec effugere possit. Vide Aeschyli Prometh. vers. 167—171: *ἦ μὴν ἔτ' ἐμοῦ χρείαν ἕξει μακάρων πρύτανις δεῖξαι τὸ νέον βούλευμ', ὑφ' ὅτου σκῆπτρον τιμάς τ' ἀποσυλᾶται·* et vers. 515. *Χ. τίς οὖν ἀνάγκης ἐστὶν οἰακοστρόφος; Πρ. Μοῖραι τρίμορφοι μνήμονές τ' Ἐρινύες. Χ. τούτων ἄρα Ζεύς ἐστιν ἀσθενέστερος; Πρ. οὔκουν ἂν ἐκφύγοι γε τὴν πεπρωμένην.*

Isocrates docet, deos fati decreta ipsis quidem nota nec mutare nec tollere posse. Conf. 10, 52: *ἀλλὰ Ζεὺς μὲν προειδὼς τὴν Σαρπηδόνος εἱμαρμένην, Ἠὼς δὲ τὴν Μέμνονος, Ποσειδῶν δὲ τὴν Κύκνου, Θέτις δὲ τὴν*

Ἀχιλλέως, ὅμως αὐτοὺς συνεξώρμησαν καὶ συνέπεμψαν. Apud Euripidem (Electr. 1294) Dioscuri a Choro interrogati: *πῶς ὄντε θεὼ τῆς δέ τ' ἀδελφὼ τῆς καπφθιμένης οὐκ ἠρκέσατον κῆρας μελάθροις* ei respondent: *μοῖραν ἀνάγκης ἦγεν τὸ χρεὼν Φοίβου τ' ἄσοφοι γλώσσης ἐνοπαί.* Apud Herodotum I, 91. Pythia Croeso interroganti respondet: *προθυμεομένου δὲ Λοξίεω, ὅπως ἂν κατὰ τοὺς παῖδας τοὺς Κροίσυυ γένοιτο τὸ Σαρδίων πάθος καὶ μὴ κατ' αὐτὸν Κροῖσον, οὐκ οἷόντε ἐγένετο παραγαγεῖν Μοίρας. Ὅσον δὲ ἐνέδωκαν αὗται, ἠνύσατο καὶ ἐχαρίσατό οἱ. Τρία γὰρ ἔτεα ἐπανεβάλετο τὴν Σαρδίων ἅλωσιν. Καὶ τοῦτο ἐπιστάσθω Κροῖσος, ὡς ὕστερον τοῖσι ἔτεσι τούτοισι ἁλοὺς τῆς πεπρωμένης.* Pausanias quoque testatur, Iovem esse fati legum defensorem, moderatorem, custodem. Conf. Paus. 5, 15, 4. *δῆλα οὖν ἐστιν ἐπίκλησιν εἶναι Διὸς ὃς τὰ ἀνθρώπων οἶδεν, ὅσα διδόασιν αἱ Μοῖραι καὶ ὅσα μὴ πέπρωταί σφισι,* postquam antea (1, 40, 3) dixit: *ὑπὲρ δὲ τῆς κεφαλῆς τοῦ Διός εἰσιν Ὧραι καὶ Μοῖραι· δῆλα δὲ πᾶσι τὴν Πεπρωμένην μόνῳ οἱ πείθεσθαι.* Praeter hunc vide Luciani Iovem confutatum (*Ζεὺς ἐλεγχεμένος*). Quin etiam apud Taci-

tum Tiberium, imperatorem Graecorum religioni tam deditum fuisse videmus, ut censeret:

„fato omnia regi."

Et Ernesti, vir seleberrimus, qui, ut omnia, ita etiam de fato eleganter disputat. *E mente veterum*, inquit, *unicuique erant sua fata, quae si contraria essent ut hoc loco Hectoris et Achillis, apud Virgilium* Aen. XII, 149, *Aeneae et Turni, minora fata vincebantur a maioribus.*

Quis igitur in hac fati cognitione horum omnium virorum non intelliget verae unius dei cognitionis paullatim nascentis posita esse initia? Est desiderium illud et contentio, qua universa antiquitas ad veram dei notitiam eniti studet. Quatenus in hoc studio profecerit Homerus, ex iis, quae de fati notione apud eum diximus, manifestum fore speramus. Praeter deorum multitudinem ab eo iam inchoata est cognitio unius dei.

Sed his plagulis finem imponemus. Veriorem autem probabilioremque fati Homerici, si desideratur, notionem, videant me acutiores.

VITA.

Natus sum ego Julius Eduardus Aloysius Fengler, die X. mensis Novembris anno huius saeculi quadragesimo tertio in pago Gusteutschel prope Glogoviam patre optimo Georgio et matre dilectissima Ludovica e gente Müller. Fide catholica educatus eique addictus sum.

De prima aetate mea, cum, quae memoratu digna sint, non habeam, plane silebo.

Literarum elementis domi imbutus anno h. s. quinquagesimo sexto Gymnasium Catholicum Glogoviense, quod directore Dr. Wentzel, viro doctissimo et spectatissimo adhuc floret, adii, uti me ad studia praepararem. Anno sexagesimo quarto maturitatis testimonio instructus literarum Universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis civis

factus et apud facultatem philosophicam nomen prof
sum.

Docuerunt me per tres annos et dimidium profes illustrissimi: Boechk, Erdmannsdoerffer, Haupt, Kirch Koepke, Muellenhoff, Mullach, de Ranke, de Raum Steinthal, Trendelenburg.

Quibus omnibus optime de me meritis praecip Boechk, quem morte nobis ereptum admodum lugemu et Haupt, quorum benevolentia inter sodales ordinari seminarii philologici receptus sum, gratias ago quam maximas semperque gratiam habebo.